



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 137. Guilielmi de Linwod, & Bartholomæ Carthusiani obitus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

auditis Regis Legati Massiliam redire Sæcul. XV.  
A.C. 1446.  
compulsi sunt, Rege Galliæ ex tota hac  
expeditione bellica haud aliud commo-  
dum referente, quam quod Finarium,  
quam urbem, Fregosius eidem ad co-  
pias, si opus fuisset, in terram exponen-  
das antea tradiderat, suæ ditioni cesse-  
rit. Rex præsentis rerum suarum statu  
aliunde satis ambiguo præpeditus, inju-  
riam sibi illatam ulcisci ausus non est.

## §. CXXXVII.

*Guilielmi de Linwod & Bartholomæi  
Carthusiani obitus.*

Hoc anno Reipublicæ literariæ erepti Dupin. Bibl.  
script. to. 12.  
p. 91. & 118.  
sunt duo magni nominis Viri, quo-  
rum primus erat Guilielmus Linwodus  
Anglus in universitate Oxoniensi Cæsa-  
ræi, & Pontificii juris consultissimus. Hunc  
Henricus V. Angliæ Rex ad Hispanum  
atque Lusitanum Reges, Legatum mi-  
sit. Cum autem Henricus naturæ de-  
bitum solvisset, Guilielmus relicto aulæ  
tumultu, in Angliam se recepit, ubi in  
urbe S. Davidis (\*) Episcopalem sedem  
obti-

(\*) Harpsfeldius in sua Historia Ecclesiæ  
Anglicanæ sæculo XV. cap. 30. Linwodum in-  
ter Cambriæ seu Walliæ Episcopos numerat,  
& Menevensis Sedem administrasse refert.

Sæcul. XV. A. C. 1447. obtinuit. Collegit Cantuariensium Archiepiscoporum sanctiones, quas a Stephani Langtonii ætate usque ad Henricum Chichelejum dispersas in aptum ordinem digessit, ac in quinque libros divisit. Alter erat Bartholomæus cœnobii Ruremundani Carthusianus, qui plures tractatus morales conscripsit, quorum nonnulli adhuc manuscripti in Coloniensi Carthusianorum monasterio, ubi mense Julio hujus anni fatis functus erat, asservantur. Elucubravit singulariter tractatum de Passionibus, virtutibus, oratione, humilitate, correctione fraterna, de laudibus Religiosorum, de abstinentia a carnibus in Carthusianorum Ordine præcepta, denique tractatum dogmaticum de auctoritate Papæ supra Concilium edidit.

## §. CXXXVIII.

*Principum Germanicæ Legatio ad Eugenium Papam.*

Ann. 1447. Eugenius Papa Legatos ex Francofordiensi Conventu Romam ad se decretos summo honore excepit, & tertio post adven-

---

*Num Menevensis Episcopatus cum illa S. Davidis sede, quam nonnisi ignobilem & vix non desertam Walliæ urbem esse Hübnerus in suo Lexico testatur, coincidat, decidere haud possumus.*